



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Theologia Moralis**

**Reiffenstuel, Anaklet**

**Monachii, 1699**

IV. De Restitutione in integrum, & quibus competat?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40206**

tor existat. Deinde Tutor impuberi, etiam invito, dandus est: sed Curator puberi non datur si est invitus; & tunc pubes per se ipsum validè contrahere potest, & contrahens obligatur tam civiliter, quàm naturaliter; nisi in casu, quo graviter læsus est, eidem subveniatur per beneficium restitutionis in integrum, juxta dicenda *Quaest. seq.*

33. Quæres ulterius, quid sit obligari civiliter, & naturaliter? Resp. *Obligatio civilis* dicitur ea, quæ aut legibus constituta, aut certo Jure Civili comprobata est. *Obligatio naturalis* verò, quæ ex Jure Gentium per consensum oritur. Hinc ille dicitur *obligari civiliter*, qui in Foro externo, ac Civili conveniri potest. *Naturaliter verò obligatur*, qui ex Jure Gentium obligatus existit, ac proinde saltè in Foro conscientie tenetur, nisi beneficio Legis Civilis, seu per rescissionem actus ope Judicis factam, à tali obligatione naturali liberetur.

Obligatio civilis & naturalis, ac

Obligari civiliter & naturaliter, quid?

Obligatio naturalis effectus, qui?

34. Porrò obligationis naturalis plures sunt effectus: quorum primus, isque præcipuus est, quòd creditori jus tribuat accipiendi, ac retinendi, si quòd naturaliter ipsi debitum est, nullà oppositâ exceptione solvatur: & hic est effectus principalis, & inèparabilis ab obligatione naturali: Secundus obligationis naturalis effectus est, quòd impediatur debiti soluti repetitionem. Tertius, quòd tribuat cuiusdam jus exceptionis, & compensationis. Et quartus, quòd in obligatione naturali possit accedere fidejussor. Verùm hi tres posteriores effectus obligationis naturalis quandoque ex dispositione Juris communis separantur, ac præsertim in Pupillis, & Minoribus, si sine Tutoris vel Curatoris consensu sese cuiusdam obligent. Layman *lib. 3. tract. 4. c. 9. n. 9.* & alij.

## QUÆSTIO IV.

### De Restitutione in integrum, & quibus competat?

35. **R**estituere in integrum idem est, ac reducere aliquem in eum statum, in quo erat ante læsionem, arg. *L. 1. C. De sententiam passis*. Nam ob æquitatem naturalem, ac Jure communi sic disponente, Judex certis hominibus in contractu, vel aliâ actione graviter læsis, aut deceptis, cognitâ causâ subvenit restituendo eos in integrum: sic enim Minoribus, videns in aliquo contractu se graviter fuisse læsum, si petat intra debitum tempus, ut reponatur in eo statu, in quo fuit ante

Restituere in integrum, quid?

ante læsionem, Judex beneficio restitutionis in integrum eidem subvenit, ipsúmque ponit in suo pristino statu.

Beneficium  
restitutio-  
nis, in qui-  
bus casibus  
conceda-  
tur?

36. Conceditur autem hoc beneficium restitutionis tunc solum, quando læsio est notabilis: nam si læsio sit duntaxat modica, tunc extraordinarium hoc auxilium tribuere non conceditur, ut dicitur *l. Scio. ff. De in integrum restitut.* & alibi. Siquidem juxta illud tritum axioma, *De minimis non curat Prætor.* Vel, ut Glossa cit. *l. Scio. §. Summam*, loquitur: *De minimis non curandum.* Insuper beneficium restitutionis in integrum, utpote quod est remedium extraordinarium, non conceditur, si aliud remedium superpetat contractum revocandi, *text. clar. l. In causa. ff. de Minoribus.* His prænotatis, sit

Conceditur  
omnibus  
ætate mino-  
ribus.

37. CONCL. I. Beneficium restitutionis in integrum conceditur omnibus ætate minoribus (id est, qui vigesimum quintum ætatis annum necdum compleverunt) si ex contractu, vel quasi contractu, graviter prudentum judicio læsi sunt. Ita habetur *L. 1. & seqq. ff. de Minoribus viginti quinque annis.* Ratio hujus constitutionis est: quia fragile est, & infirmum hujus ætatis consilium, & multis captionibus suppositum, multorumque insidijs expositum; unde istud extraordinarium auxilium eidem Prætor pollicitus est, prout ibidem loquitur textus. Et quidem hæc Conclusio intelligenda est, quamvis ejusmodi contractus fuerit institutus cum Patris, vel Curatoris consensu, imò etiam Judicis decreto interveniente: adhuc enim beneficio restitutionis locus erit, *L. 2. C. Si tutor vel curator intervenerit, cum concordantijs.*

Excipiuntur  
aliqui ca-  
sus.

38. Excipiuntur tamen aliqui casus à data regula. I. Si talis post expletum vigesimum quintum ætatis annum factus major, ratificet ea, quæ in minori ætate cum Tutoris, vel Curatoris consensu egit: tunc enim beneficium restitutionis petendæ perdit, *L. 1. & 2. C. Si major factus &c.* II. Si minor pubertate jam adeptæ contractum à se inicum juramento spontè facto confirmavit, *l. Sacramenta puberum. C. Si adversus venditionem &c.* Omituntur nonnullæ aliæ limitationes minùs ad propositum actinentes.

Beneficium  
restitutionis  
in integrum  
competit  
Ecclesijs &c.

39. CONCL. II. Beneficium restitutionis in integrum competit insuper Ecclesijs, aliisque locis pijs. Ita habetur clarè in iure Canonico, *tit. De in integrum restitut.* per plura Capitula: siquidem Ecclesia spongitur jure minoris. Quòd si verò personæ Ecclesiasticæ in proprijs juribus, aut bonis suis patrimonialibus,

libus, aliisve privatis laedantur, non competit eis beneficium restitutionis: quia cessat tunc communis favor Ecclesiae.

40. CONCL. III. Ad petendam restitutionem in integrum ex quacunque causa, hodie conceditur continuum quadriennium. Ita habetur expressè *L. ult. C. de Temporibus in integrum restitutionis*, & tenent Doctores communiter.

41. Circa quod notandum, quòd quadriennium istud in restitutione Minorum inchoetur primùm ab ætate legitima, seu à primo die exacti vigesimi quinti anni, cessante tamen alio impedimento. In restitutione verò Ecclesiae, aliorumque piorum locorum, incipit dictum quadriennium à tempore factæ læsionis; sicuti constat ex *c. Ecclesia, de Restit. in integrum, in 6.*

42. Intellige, nisi prevaricationis, vel fraudis manifesta, probetur super hoc intervenisse commentum, aut alia rationabilis causa subsit, qua Superiori movere debeat ad idem beneficium concedendum; prout limitatur *cit. c. Ecclesia*. Ubi proinde Glossa *¶. Causa*, & Fagnanus *c. Requisivit, n. 14. de Restit. in integrum*, post Abbatem, & alios inferunt, posse concedi Ecclesiae beneficium restitutionis etiam post quadriennium, si Prælati malè alienans (hoc est, cum gravi damno Ecclesiae) tanto tempore vixit: nam hoc quadriennium non currit, quamdiu vivit Prælati, qui malè alienavit, *arg. c. Si sacerdotes, 10. q. 3.* Ratio hujus esse videtur: quia Prælati ille non facilè revocabit factum suum; & sic Ecclesia, quantum ad propositum, tunc censetur carere legitimo defensore, ut proinde justa causa subsit eandem restituendi post quadriennium.

43. Pro complemento hujus Quæstionis sciendum, quòd Respublica quoque jure Minorum gaudeat, adeoque auxilium restitutionis implorare possit, *L. 4. C. Quibus ex causis majores &c.* ubi dicitur: *Respublica equiparatur minori, & idèò habet beneficium restitutionis in integrum.* Idque extendunt Doctores primò ad Principem, tanquam caput Reipublicæ. Deinde ad Universitatem Studiosorum, cum in ea non pauci, imò plerique minorenes reperiantur. Tertio, ad Vicos communitatem habentes.

Tandem idem beneficium quandoque conceditur rudibus: ut rusticis, mulieribus, &c. prout amplius declarant Canonistæ.

\*\*\*

M m m

DI.

Debet peti intra quadriennium.

Quadriennium hoc, quando incipiat?

Præsertim si Prælati Ecclesiae malè alienans, diutius vixit.

Beneficium restitutionis in integrum, quibus alijs competat?